

Ecloga, Nvptiis Schnobelio-Stolterfothianis Sacra

Lvbecae: [Verlag nicht ermittelbar], MDCCXXXVIII. V. Kal. Septemb.

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1748677616>

Druck Freier  Zugang



Ecloga.
Nuptiis Schnobelio-Holterfot.
säwa.

1749.

Jz II.

549.



Landesbibliothek
Mecklenburg-Vorpommern
Günther Uecker

http://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn1748677616/phys_0001

DFG

7 z II
3549



ECLOGA,

NVPTIIS

SCHNOBELIO-
STOLTERFOTHIANIS

SACRA. 12 82.

LVBECAE,

clō Io cc xxxviii. V. Kal. Septemb.



BIBLIOTHECA

IN VESTIS

SCHNORRELLIO


STOLTERBOUWERS

SACRA

LIBRI

of the University of Rostock





Aether erat purus, caput insuperabile Phoebus
extulerat iam iam, mediumque tenebat Olympum,
cum duo Pastores Corydon Lycidasque fidelis
molliter errantes compellunt voce bidentes.

Grex placidi pecoris quaerit iam languidus umbram,
invalidus rivumque petit carectaque rodit.

Interea Lycidas fessus procumbit in umbra,
nec nisi triste videns cari Corydonis in ore,
nec causam simul agnoscens, huic talia fatur:

Lycidas.

O Corydon quid habes? quis moeror in ore resedit?
cur te non laetumque hilaremque ostendis & omnes,
quae turbant animum, curas e pectore pellis?
o fuge moerores, & laetos indue vultus,
huc precor! huc venias, hic nos haerebimus ambo.

) 2

Cory-

Corydon.

O Lycida nostrum si scires forte dolorem,
non me turbares, o nostrae inimice quieti!

Lycidas.

Non te turbamus, Corydon! modo rite sequaris,
quod tibi do, monitum, curasque e pectore pellas.
O! tam damnosis noli te subdere vinculis,
quae parat insana anxietas, animique perosa
cura, graves iterans afflicto in pectore morsus.
Nulla dies abiit, qua nos non gaudia fausta
explerunt, saevum & prorsus domuere dolorem.
Si vacat innocuis aures praebere loquelis,
hic sedeas, quae fama refert, narrabimus ultro.

Corydon.

Me tandem vincis. Nam nemo resistere tantum
svadenti poterit. Quin tu mea corda levare,
et cunctas animo potuisti pellere curas.
O Lycida pergas, aures tibi praebeo sponte.

Lycidas.

Cum Dorylas nuper vacuaret lacte capellas,
mollibus in pratis, & ego spectator adesset,
cuiusdam mihi pastoris narrabat amorem.
nomen erat Thyrsis, ni nos oblivio fallit.

Phyllida

Phyllida amore suo non iudicat hic indignam,
idque quidem merito, me oculis vidisse puellam
saepe meis memini. Satis hanc laudare puellam
nemo potest. Formam seu spectes, five venustas
dotes, quas animus pulcerrimus undique prodit,
seu virtutem eius: nil non laudabile cernes.
Undique laude sua, virtutibus undique pollet.

Corydon.

O Lycida, quid ais? sic Thyrsida Phyllis amantem
Phyllida Thyrsis amat? Sic hanc vitaeque thorique
elegit sociam? felix inlustreque vinculum,
cui merito nostris carmen cantatur avenis!
Idque equidem faciam! tranquillae estote bidentes!

Lycidas.

Non sine me, Corydon, cantabis arundine carmen,
deque meo cantu resonabunt Phyllida sylvae.
Fistula sylvestris sylvestrem funde canorem.
Incipe, mi Corydon! et carmine fidera mulce.
Phyllidis, o Corydon! Lycidas quoque cantat amores.

Corydon.

Huc ah! huc Nymphae, vos huc Satyrique bicornes!
plaudite nobiscum praesentia numina ruris!
tam dignos modulis agedum referatis amores!
Pan quoque adesto Deus! septem compacta cicutis

X 3

fistula

fistula disparibus nostris iungatur avenis,
Phyllidis insignes mecum cantetis amores.

Lycidas.

Dicite io! Fauni! celebretis Phyllida mecum!
Phyllida, quam species ornat virtusque decora.
Tu quoque redde sonos Echo reditura iocosos,
vos balate, greges, et tu Philomela sonora, et
blandifono quaecunque volucris gutture polles,
hos cantus iterato suavi carmine nostros.

Corydon.

Huc ah! huc Nymphae, vos huc Satyrique bicornes!
Nuper ut errantes compello voce capellas,
capreolumque queror, spoliator quem Meliboeus
fustulerat mihi, Sylvanus pastorque Damoetas
Phyllida laudavere etiam, quam nemo sciebat
tum forma captam virtuteque Thyrsidis esse.

Lycidas.

Dicite io! Fauni! celebretis Phyllida mecum!
Omnia vincit amor. Thyrsis spernebat amorem;
Phyllide sed visa palmam concessit amori.
Idque lubenti animo, felici fidere victus,
scilicet hac vivet dilecta coniuge felix,
aeternumque dies Thyrsis numerabit amoenos.

Cory-

Corydon.

Huc ah! huc Nymphae, vos huc Satyrique bicornes!

Accipit egregii Thyrsis pretiosa laboris
praemia, et eximia donatur Phyllide tandem.

Faustus es, o Thyrsis, quis enim felicior alter?

te tua Phyllis amat, casto te pectore servat.

Thyrsidis o Nymphae! nimis est fortuna secunda.

Lycidas.

Dicite io! Fauni! celebretis Phyllida mecum!

Non ingrata manet, fidi pastoris amore
se fedit, vitamque suam, dotesque venustas.

O audite fidem hanc, faciles audite Napaeae,
vosque meis verbis attendite Naiades udae,

Thyrsis amat constans, constanti a Phyllide amatur.

Corydon.

Huc ah! huc Nymphae, vos huc Satyrique bicornes!

Littora quot conchas, quot amoena rosaria flores,
quotque soporiferum praebebit grana papaver:

tot possit numerare dies cum Thyrside Phyllis,

totque


totque bonis cumulatus eat cum Phyllide Thyrsis,
et tanta sit posteritate e Phyllide Thyrsis.

Lycidas.

Dicite io! Fauni! celebretis Phyllida mecum!
Sylva feras quot alit, quot piscibus unda natatur,
quotque vagum volucris pennis celer aëra pulsât;
tot quoque deliciis Phyllis laetetur amanda,
Phyllida tot tangant felices Thyrsidis auras,
tot teneros constans Phyllis degustet amores.

Talia cantabant Pueri, cantantibus illis,
ipse labor tandem fessas excusit avenas.








Landesbibliothek
Mecklenburg-Vorpommern
Günther Uecker

http://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn1748677616/phys_0012

DFG



fuo non iudicat hic indignam,
merito, me oculis vidisse puellam
mini. Satis hanc laudare puellam
Formam feu spectes, five venustas
mus pulcherrimus undique prodit,
us: nil non laudabile cernes.
sua, virtutibus undique pollet.

Corydon.

d ais? sic Thyrfida Phyllis amantem
is amat? Sic hanc vitaeque thorique
felix inlustreque vinclum,
ris carmen cantatur avenis!
faciam! tranquillae estote bidentes!

Lycidas.

Corydon, cantabis arundine carmen,
ntu resonabunt Phyllida fylvae.
is sylvestrem funde canorem.
Corydon! et carmine fidera mulce.
Corydon! Lycidas quoque cantat amores.

Corydon.

Nymphae, vos huc Satyrique bicornes!
um praesentia numina ruris!
odulis agedum referatis amores!
desto Deus! septem compacta cicutis
fistula

X 3